



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,  
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

**Młodzianowski, Tomasz**

**Moguntiae, 1682**

Punctum Diffic. 4. Quid de Reliquis Objectionibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

racula, ad captandam sibi fidem apud homines; quod ergo Deus sit veritas prima, habetur independentem ad revelationem, sicut aliunde cognoscitur DEUM esse justum, bonum, &c. quare qui de hac veritate dulciter, non posset ex v<sup>o</sup> miraculorum ad fidem allici, sed deberet prius per rationes, vel alia via, de suo errore convinci.

RESPONDETUR. Impossibile esse aliquid credi propter veritatem primam dicentem, & non revelari in actu signato, veritatem primam: quia & crederetur tunc propter veritatem primam dicentem, ut supponitur: & non crederetur, quia credi propter illam, est credi illam & omnia, quæ illa in se formalissimè & explicitè importat, ut in omnibus aliis rationibus motivis evenit. Jam autem in Credere propter veritatem primam, formalissimè & explicitè importatur veritas prima, credi ergo & illa debet semper, cum creditur propter veritatem primam. Concedo miracula non probare, quod DEUS sit verax, sed solam connexionem inter veritatem primam & dictionem quæ dicit, se esse veritatem primam. Concedo aliunde debere dejici eum, qui putat DEUM esse mendacem, & non per fidem: fides enim non est habitus probativus, sed assertivus. Sed posito quod aliunde id probatum sit, quando procedendum erit ad ipsum actum fidei de DEI veritate; nego propter aliud motivum id credi posse, quam propter ipsum *Ly Deus dixit*. Quæ doctrina supponit hanc Majorem. Non repugnat habitui, ut præsupponat in aliquibus circumstantiis, tanquam prærequisita actus aliorum habituum; hocque ostendit Inductio, & probat ratio, quia cum non sit natura uniuscujusque habitus, omnes actus exercere, nec sibi unus ad omnia sufficiat, bene exigere potest actus aliorum habituum, licet illi actus non sint motiva propria illius habitus, præsuppositivi. Et ita Logica est habitus præsuppositivus, & prærequisitivus demonstrationum Metaphysicarum, motivorumque illius, & tamen hæc motiva, non sunt motiva Logica. Cum ergo etiam habitus fidei, non sit sibi sufficiens quoad omnia, maximè quoad probationes, est enim habitus, non nisi, ut dixi, assertivus, fit ut præsupponat actus aliorum habituum & motiva: licet illis ipsis non moveatur.

### Punctum Difficultatis 4.

*Quid de reliquis objectionibus.*

OBJECIT Tertio. Divina dictio non potest habere rationem primi motivi Ergo in illam non resolvitur fides. Antecedens probatur: quia Divina dictio, non potest sufficienter, & certò, movere ad assensum: nisi intelligatur per prius saltem originis, involvere rationem veritatis primæ, tanquam suæ compartis mo-

ventis ad assensum: Sicut enim quæcunque dictio vel locutio alicujus, non potest habere vim movendi ad assensum certum, nisi constet per prius de veracitate dicentis, ita & de dictione Dei, idem sentiendum.

RESPONDETUR. Hoc Argumentum non habere exactam phrasin: quia nomine prioritatis originis intelligitur: quia hoc ab hoc procedit seu producitur physicè, & tamen sine ulla prioritate dependentiæ. Jam autem veritas prima, non producit veritatem primam in dicendo. Sed quidquid sit de phrasi, dici potest, quod per prius ratione, præsupponatur DEUS esse veritas prima, quam veritas in dicendo: ita tamen, ut pro illo priori, nondum possit intelligi fidei Actus: quia hic non potest esse sine proportionato motivo, quod est, non nisi DEI dictio: licet pro posteriori signo, sit actus fidei, realiterque accipiendi illum assensum est actus fidei: quia indivisibili actu credo veritatem primam, cum credo propter veritatem primam: *Quia dixit*.

INSTAT Primò Koninck Disp. 9. Dub. 4. Videtur esse stultum, credere esse aliquem Veracem: quia ipse dicit: nec item credi potest, Deum existere: quia Deus dixit, nam idem ridiculum videtur credere aliquem existere: quia ipse hoc de se testatur.

RESPONDETUR. Etiam in humanis, si quis non assensu certo vel probabili moraliter, sed assensu fidei debet credere aliquem esse veracem, debet id credere, quia id dixit: quod si fiat sine motivis prudentialibus, stultum erit; secus si fiat cum iisdem. Imò defacto ita contingit, dum assentior huic Verbo, *Crede, non te fallo*, qui assensus est propter, quia dicitur; & si fallat dicens, dicimur decepti verbis illius. Ergo apparet dictionem illius fuisse rationem motivam assentiendi. Quia autem in assensu supernaturali fidei, cum debitis prærequisitis, præbetur hic assensus, quod DEUS sit Verax, quia dicit se veracem; fit ut ille assensus non sit stultus.

INSTABIS Secundò. Resolutorium fidei quod non nisi unum assignavimus, debet esse tale, ut in singulis actibus fidei reperiat: Sed quod Deus dixerit non potest singulis actibus fidei convenire. Quod ipsum probatur: quia non potest competere actu primo fidei, qui est credere Deum esse. Quod ipsum probatur, prius est assentiri ipsi rationi assentiendi quam objecto cui assentior, propter illam rationem assentiendi; sed non possum assentiri prius rationi illi assentiendi, quam assentiar ipsi objecto. Ergo illa ratio assentiendi, quia Deus dixit, non est ratio assentiendi illi objecto, Deus est. Minor probatur: quia non possum assentiri prius quod Deus dixerit, quam assentiar quod sit, prius est enim esse, quam dicere.

Porro ipsi esse, non possum assentiri: quia vel assentior illi propositioni quia Deus est, ex eo: quia dixit; & hoc non: quia antequam assentiar huic propositioni, quia dixit, iam in priori, assentiri debeo, quia est; & tamen non possum assentiri ex eo: quia dixit: quia Ly dixit, non potest præsupponi ante esse, & assensus ad dixit ante assensum ad est. Ergo ex eo quia dixit, non possum assentiri huic propositioni est Deus. Non etiam possum assentiri ex alio motivo: quia vel assentior illi propositioni, Deus est per fidem, vel non per fidem: si per fidem, & tamen non assentior propter motivum, quia Deus dixit. Ergo non est fidei universale motivum, Deus dixit: Si autem non assentior propter fidem. Ergo ille assensus, quia DEUS dixit, non erit firmus: quia non possum majori certitudine assentiri Deum aliquid dicere, quam illum existere; cum illa dictio, infundatur ipsi esse. Ergo si illum esse, non habeo pro certo, certitudine summa, nec habeo quod dixerit: quia quod dixerit fundatur in assensu quod sit, quod ipsum fundamentum, non est summè certum.

RESPONDETUR. Prius esse ratione assentiri ipsi rationi assentiendi, quam objecto: sed non prius re; hinc prius ratione assentior assensu fidei, quod Deus dixerit, quam quod Deus sit: Et licet prius sit esse, in ordine metaphysico & physico quam dicere, non tamen prius ordine fidei: quia ratio assentiendi prior est, tanquam causa formalis, objecto, cujus est ratio assentiendi. Et quantumvis in assensibus Metaphysicis & spectato ordine ipsius esse; antequam assentiar illi propositioni quia dixit, iam in priori assentiri debeo, quia est; non tamen in illo priori, & pro illo priori, assentiri debeo assensu fidei: quia pro illo priori nondum intelligitur motivum fidei. Hinc quamvis pro illo priori, pro quo antecedit assensus ad esse, non sit ille assensus ad esse firmissimus: quia nondum intelligitur elicitus ob certissimum motivum: in signo tamen posteriori, tum primùm evadit ille actus certissimus, quia evadit innitens ipsi DEUS dixit. Quia autem fides de esse Dei, non innititur nisi ipsi Ly Deus Dixit, sit, ut adhuc ipsum illud esse, teneatur summâ & infallibili certitudine.

SUPPONIT PRIMÒ. Hæc Responsio, quod in ordine Metahp: prius sit assentiri Deum esse quam veracem esse.

RATIO quia cum metaphysica attendat ad esse, & ordinem objectorum, secundum intrinsicam suam rationem spectatorum, adeoque non attendendo primò ad dicere: cumque sint dabilia motiva, persuadentia Deum esse, non petibilia, ab ipsismet veracitate: Hinc sequendo ipsius Esse ordinem, Metaphysica, per prius debet demonstrare esse Dei. E contra autem fides attendit, ad dicere, nec in illa est motivum assentiendi, nisi petibile ab ipsismet, dicere.

Hinc in fide non habetur per prius assensus: ad esse Dei, quam ad dicere. *Unde ulterius*

SUPPONIT SECUNDÒ. Quod in fide non possumus prius natura assentiri Deum esse assensu fidei, quam assentiamur illum veracem esse.

RATIO, quia pro illo priori, & assentiremur Deum esse assensu fidei ut supponitur, & non assensu fidei: quia pro illo priori, nondum intelligitur motivum formale fidei, hoc est quia Deus dicit, nullumque aliunde ostenditur esse motivum fidei.

SUPPONIT TERTIÒ. Non esse necesse, quod assensus Deum esse, præcedat realiter in fide assensum, quo credo, id Deum dixisse. Illustrari hoc præter dicta potest aliquibus instantiis.

Pone ab æterno creaturam rationalem, pone etiam ab æterno DEUM manifestantem hanc propositionem *Credo me esse; quia dico me esse*: in illo casu, prius non possem assentiri re, Deum esse, & posteriùs assentiri huic; quia dixit se esse; quia aliàs non ab æterno eligerem hunc actum Credo Deum esse quia dicit se esse: præcederet enim illum realiter actus credendi, de ipso esse; & tamen eo, quod est ab æterno, nihil est prius realiter. Supponit autem instantia, ab æterno posse illum actum elici. Pone, hominem nescientem, Deum esse, nec scientem, quod credit illi debeat, quia dicit se esse. Pone rursus determinantem Deum determinatione etiam ad instans temporis, ut eliciat hunc actum Credo Deum esse, quia dicit se esse, quo casu non præcederet assensus fidei de esse Dei, assensum, quia Deus dicit: & tamen casus, non est impossibilis. Idem in materialibus ostendi potest. Pone speculum æternum, pone etiam florem æternum, non potest esse prius re flos emittens sui speciem, quam speculum illam recipiens; & tamen prior est productio ejus speciei, representatione. Sic v. g. nesciebam esse in terram natura sonum, ponatur sonus, non prius novi sonum esse, quam audiam illum; licet in illa auditione, prius sit natura, esse soni, cui conjuncta est realiter auditio soni. *Ex quibus omnibus* Colligitur, non esse etiam necesse, ut assensus de esse Dei, præcedat realiter, assensum de dicere.

SUPPONIT QUARTÒ. Quod concedatur quidem in assensu fidei, prius esse ratione, assensum de esse: hoc enim exigit ordo naturæ, conditio præcognitorum; & ne motivum sit de subiecto non supponente: sed non intelligi pro illo priori assensum fidei, sed non nisi pro posteriori. Cujus Ratio jam assignata: ita ut illa formalitas unius realiter cognitionis, in quantum vertatur per prius circa Dei esse, non intelligatur actus fidei, nisi propter realem connexionem, cum posteriori formalitate, inferente ipsum DEUS Dixit; & hoc non obest, quominus illud ipsum esse Divinum, credatur actu fidei: quia ut alteri actui competat ratio fidei, non debet spectari actus inadæquatè exclusivè formali: sed

R. P.  
THE MLOI  
ZIANOWSK  
Tom. 1. 2  
D. VI  
S

adæquatè, & secundo totum esse reale, quod dicit.

**SUPPONIT Quintò.** Assensum illum, qui exhibetur rationi assentiendi priusquam exhibeatur Objecto materiali, non debere fieri per distinctum assensum, sed per assensum inclusum, in ipso assensu ad objectum: quamvis intra eundem actum realem, prior sit formalitas assentiendi ipsi rationi assentiendi, quam objecto propter illam.

**RATIO.** Tum quia oppositum dicere, esset multiplicare Entia sine necessitate. Tum quia daretur processus in infinitum in istis rationibus assentiendi. Si enim assentiendo rationi, debeat per distinctum assensum assentiendi, etiam illum ipsum assensum, debeat per distinctum actum facere: non enim est major ratio de uno, quam de alio. Tum quia, quod est ratio formalis alteri, est & sibi ipsi, ut probatum supra. Ergo & quod est ratio assentiendi alteri, potest esse ratio assentiendi sibi.

**INSTABIS Tertio.** Ex Responione sequi quòd non possit esse primus actus fidei, de DEI esse. Cum tamen dicat Apostolus, *Accedentem ad Deum oportet credere quia est:* & tamen iste accessus, primitatem significat.

**RESPONDETUR.** Adhuc poterit esse primus actus fidei de Dei esse, non quomodocunque, sed vel incluso in ipso dicere, vel propter dicere: præcipue cum Apostolus non significet exclusionem dictionis Divinæ, in primo actu fidei.

**OBJICITUR Quarto.** Ignotius non potest esse ratio cognoscendi notius. Sed notius est nobis Deum esse, id enim est evidens per demonstrationem, nullo modo autem evidens, hoc Deum testari, Ergo illud testimonium, non potest esse ratio assentiendi.

**RESPONDETUR.** In habitibus sequentibus evidentiam, attendi debet ut assumantur Notiora, in habitibus autem in evidentibus, assumi debent ea quæ habere possunt rationem motivam, præcipue ultimam, quæ in fide non est Dei esse, sed dicere. Unde si per notius intelligas id in quo in fide conquiescere possit intellectus; sic in illa notius est Deum dicere quam esse: licet in ordine Metaphysico, notius sit esse, quam dicere.

**OBJICIT Quintò.** Rip. d. 3. a. n. 41. quod sint motivum inadæquatam fidei motiva credibilitatis. Non potest assentiri intellectus immediate Mysterio revelato, etiam per assensum obscurum, nisi præluceat lux extrinseca alicujus objecti. Ergo sine illa, non assentietur existentia revelationis.

**RESPONSUM.** Sine luce extrinseca motivorum credibilitatis tanquam conditione, non exhibendum assensum existentia revelationis: licet illa lux extrinseca, non se habeat per mo-

dum motivi. Insuper disparitas in simili data Lugoni.

**INSTAT Primò.** Sola apprehensio revelationis, quo ad intrinseca prædicata, non sufficit suadere intellectui assensum illius. Ergo necessario assumi debent prædicata intrinseca, nobis nota.

**RESPONSUM.** Debere ea assumi tanquam conditionem, non tanquam motivum.

**INSTAT Secundò.** Dantur plures assensus Supernaturales immediati & obscuri, qui non moventur ex testimonio Dei; sed ex aggregatione plurium circumstantiarum.

**RESPONDETUR.** Omnes illos assensus, moveri solo testimonio Dei tanquam formali; aggregationem autem illam, esse non nisi per modum conditionis.

**INSTAT Tertio.** Potest etiam per nos, assensus naturalis moveri, ex objecto formali supernaturali revelationis Divinæ, ex quo moveretur assensus supernaturalis fidei, nullo existente discrimine ex parte objecti inter utrumque. Sed assensus naturalis existentia revelationis, potest moveri ex revelatione ut credibili notis extrinsecis Ergo & Supernaturalis.

**RESPONDETUR.** Notæ illæ extrinsecæ, etiam respectu fidei naturalis, non se habebunt nisi per modum conditionis: quia etiam illius motivum formale, erit non nisi Dei dictio: ob supra dicta. Unde etiam illa fides naturalis, supposita revelatione, habet objectivam infallibilitatem summam; licet non habeat summam, peribilem à ratione principii & sui ordinis: nam ejus principium est intellectus, qui falli potest, & ordo est naturalis.

**INSTAT Quarto.** Sufficit motivum partiale fidei esse revelationem, si quidem eo ipso, quòd revelatio DEI sit motivum partiale, non poterit existere assensus supernaturalis, non existente re ipsa revelatione DEI: defectus enim motivi partialis, sufficit ad defectum totius assensus.

**RESPONDETUR.** Non sufficere ad assensum infallibilem, ut unum non nisi partiale motivum sit infallibile: quia Conclusio sequeretur debiliorem partem, & stare debet principium Propter quod &c. Concedo defectum fidei ex singulis posse haberi, adeoque si desit revelatio: sed quæretur restat, quomodo bonum actus fidei infallibilis, haberi possit, si non sit ex integrâ causa, non habendo scilicet adæquatè motivum infallibile.

**INSTAT Quintò.** Infallibilitas & certitudo, non convenit assensui supernaturali ex objecto formali, sed ex modo tendendi: nam idem objectum formale, respicit assensus naturalis fallibilis, & incertus, Ergo quamvis assensus fidei moveatur ex revelatione in consortio aliorum non infallibilium, tamen assensus erit infallibilis, ratione existentia revelationis.

(c) 4 RESPON-

RESPONSUM supra. Certitudinem objectivam peti ex formali, eamque reperiri etiam in fide naturali, quæ fallibilis est ratione principii, sed non ratione formalis motivi: quod idem supponitur in utraque fide: quantumvis certitudo subjectiva possit haberi ex modo tendendi. Casu autem quo moveatur sive naturalis sive supernaturalis fides, vera revelatione, in consortio aliorum fallibilium; si illa accipiantur non per modum motivi, sed conditionis applicantis, erit assensus infallibilis: secus si assumantur ut motivum: neque enim posset esse assensus infallibilis, si motivum illius non foret infallibile.

Ad Auctoritates quod attinet, quas objicit: Concedo verum esse quod dicit August. Lib. contra Epist. fund. epist. 4. Tenet me in Ecclesia consensus omnium populorum, tenet me veritas miraculorum & Epist. 9. Infirmata Catholicorum auctoritate; jam nec Evangelio credere potero: quia per eos illi credideram. Sed his locis aliisque, quæ recitat, non tribuitur motivus illis, ratio formalis motiva credendi: neque enim illic quidquam de hoc motivo. Deinde admittimus & nos motiva credibilitatis in fide, quæ sunt quasi inchoativa, ut postea fides, suo nitatur fundamento.

Objicit Sextò. Argumentum quod sibi opposuit Rosm. Si prima veritas crederetur propter revelationem, non crederetur propter revelationem quamcunque, sed propter infallibilem. Ergo veritas Divina creditur, ut objectum materiale, propter se ipsam, ut objectum formale; ex quo sequitur processus in infinitum: quia quando creditur veritas Divina ut constituens Revelationem Divinam in esse infallibilis, vel creditur propter se ipsam independentem à revelatione, vel dependenter primum non; quia omnis actus fidei innititur revelationi. Si secundum dicatur, redit argumentum cum non credatur propter revelationem quamcunque, sed infallibilem, de qua ipsa redit quæstio, quomodo credatur?

RESPONDETUR. Non dandum tunc processum in infinitum: quia crederetur quod est veritas Divina propter infallibilem revelationem, quæ tamen, quia sibi ipsi esset infallibilis, terminaret processum.

Objicit Septimò. Arriaga d. I. n. 58. Anrequam homo credat, debet habere prudentia motiva credibilitatis. Ergo etiam ut credat Deum esse veracem.

RESPONDETUR. Concedendo totum. Sed illis motivis positis, negatur posse formari actum fidei, nisi propter Quia Deus dixit.

INSTAT. Ponamus Angelum aliquem incapacem erroris & mendacii, nunquid propterea, nisi quis rationem aliquam ejus veracitatis mihi proponat, potero ego prudenter dicere. Credo illum Angelum esse essentialiter veracem, quia de se dicit.

RESPONDETUR. Non posse credi prudenter nisi positis prærequisitis. Cæterum in consequenti, illisque suppositis, si volo elucere actum fidei de illius veridicitate, non potero id facere, nisi propter, quia dicit de se.

## Punctum Difficultatis

*Inferitur qualis sit processus in Actum Fidei.*

Syllogismus quem aliàs appellavimus *Fidelium*. Sin principiis nostris est talis. Omne quod Deus dicit, est credendum quia Deus dicit. Sed Deus dixit v. g. se esse incarnatum. Ergo DEUM esse incarnatum, credendum est quia Deus dicit. Ubi major pro motivo habet Dei veracitatem, quæ se habet per modum motivi, ita tamen ut actus ille fidei, sit mediatus, quia fit propter motivum, quod est Deus dixit. Minor autem habebit assensum immediatum, quia ipsum Ly *Dixit Deus* complectetur. Conclusio etiam involvet actum fidei, quia involvet ipsum Ly *Deus dixit*. Sic debere formari prædictum Syllogismum, ostendunt superius dicta, & infra dicenda, ubi de motivis credibilitatis.

Quæ contra objici possent, desumi possunt ex Haunoldo aptando ea quæ ipse opposuit Syllogismo fideli, prout eum formavit Lugo. *Hinc cum illo*

Objicitur Primò. Exiis quæ habet libro tertio, 69. Revelationes Dei non debent esse inutiles; sed conducere ad instructionem nostræ ignorantie; juxta illud Pauli, quod omnis Scriptura Divinitus inspirata, utilis sit ad docendum: si autem tenet prædictus Syllogismus, non ad aliud servit, quam ut assentiamur veracitati, reflexè, propter eandem veracitatem, directè cognitam, hoc autem nullam habet æstimabilem utilitatem.

RESPONDETUR. Inprimis retorquendo argumentum: Sic in Principiis suis formavit præsentem Syllogismum Haunoldus. Omne quod Deus summè verax revelavit, esse incarnatum, est incarnatum. Sed verbum est aliud quid, quod DEUS summè verax revelavit esse incarnatum. Ergo Verbum est incarnatum. Qui Syllogismus si argumentum tener, non procederet debite, quia non esse utilis ad instructionem nostræ ignorantie; quid enim instructionis habet, quod scilicet Revelatio, inferens esse incarnatum, inferat esse incarnatum & si inutile est, assentiri veracitati reflexè, propter eandem veracitatem, directè cognitam, nec in præsentem adfert utilitatem assentiri Revelationi esse incarnatum quod est incarnatum. aptabiturque intento Lugonis quod pro se adfert Objiciens: & si est utile, credere quod sit incarnatum quod Deus summè verax revelavit incarnatum, utile etiam erit credere id quod Deus dixit, quia Deus dixit. Deinde: forte hoc

R. P.  
THE MLOI  
ZIANOWSK  
Tom. I. c. 2  
D. VI